

2. F. S. F. 2
DISSERTATIO GRADUALIS

ΣΕΙΣΑΧ-
ΘΕΙΑΝ
SOLOINIS
BREVITER EXHIBENS

Quam
*Consensu Ampliff. Facult. Philos. in Reg
Acad. Aboënsi*
PRÆSIDE

Ampliff. atque Celeberrimo VIRO
M. HENRICO HASSEL
Eloqv. Profesi Reg. & Ordin.

Publice examinandam modeste sistit
JOHANNES SCIURENIUS J. F.
Borea-Fenno.

Die V. D. 27. Junii MDCCXXXII
loco horisque ante meridiem solitis.

ABOÆ, Excud. R. Ac. Typ. Joh. Kiiämpe.

CONSPPECTUS.

- § I. Seditiones rebus publicis perniciosissimas esse affirmat.
- § II. Eas ex injuriis potentiorum in pauperes & misera horum conditione existere statuit.
- § III. Exemplum hujus rei ex republica Attica desumptum proponit.
- § IV. Prudentiam Solonis deprecatur huic malo per legem $\sigma\epsilon\iota\omega\alpha\chi\theta\epsilon\iota\alpha\varsigma$ subvenientis.
- § V. Etymologiam vocis tradit.
- § VI. Alteram de $\sigma\epsilon\iota\omega\alpha\chi\theta\epsilon\iota\alpha$ sententiam profert atque refutat.
- § VII. Alteram adstruere conatur.
- § VIII. Objectioni occurrit & ante dicta ulterius confirmare nititur.
- § IX. Cautelas nonnullas similes contra casus proponit.



I. N. J.

§. I.

INter omnia illa mala, quæ
ex causis, vel naturalibus
vel civilibus, respublicas
adoriuntur, nihil est grave
magis & periculosum, quam
mutuæ civium discordiæ, &
quæ illas excipiunt, seditio-
nes. Quemadmodum cum ca-
pite membra incolumitatem to-
tius corporis conservare & pro-
movere intendunt, ita etiam in
A rebus

rebus publicis Imperans & ci-
 ves pro communi salute & fe-
 licitate assidue advigilabunt. Per
 interna vero diffidia rumpitur
 vinculum unionis, quo impe-
 rans cum civibus, & hi inter
 se nectuntur, & ipsam repu-
 blicæ corpus in diversas discer-
 pitur partes. Sic maxima or-
 bis imperia, quæ nulla vis ex-
 terna concutere valuisset, mo-
 tus intra sua ipsorum viscera
 excitati adeo debilitarunt, ut
 tristem luctuosumque tandem
 subiverint occasum.

§. II.

Variæ quidem Solent esse
 seditionum causæ, quas
 Politici prolixè recensent: Vel
 enim

enim ex perversis reipublicæ formis, vel ex tyrannide imperantium, vel ex disciplinæ publicæ neglectu, vel aliis quoque ex fontibus interdum existere possunt. Non aliàs vero facilius discordia dissidiumque in civitate exoritur, quam ubi quidam civium, opibus & potentia nimis crescentes, alios inferiores serviliter tractant opprimuntque. Qui enim se extremas ad calamitates sentiunt esse redactos, quacunq; data occasione jugum suis impositum cervicibus excutere cupiunt. In primis sceneratores gravissimis sæpenumero seditionibus materiam præbent. Nam ubi pronummis locatis justo plus quaer-

stus ab inopibus exigunt, & modicas illorum ac tenues facultates spoliant diripiuntq; ; tum egeni suis consulturi rebus, & se ab imminente exitio vindicaturi bellum adversus opulentiores excitant, extremam illis perniciem intentantes.

§. III.

INter alia hujus rei exempla, quæ varios apud Historicos occurrunt, notabile etiam est illud, quod in republica Attica tempore Solonis evenit. Audiatur hac de re Plutarchus in Solone: *Quia vero flagrabat eadem tempestate pauperum cum divitibus ex inequabilitate dissensio, civitas prorsus in lubrico*
ver-

5
versabatur. Una autem super-
esse ratio videbatur ad salutem
& quietem, si res delata ad do-
minatum essent. Totus enim erat
populus ere alieno oppressus a di-
vitibus. Nam aut illis arabant,
sextantem fructuum pensitantes,
unde Hectemorii & Thetes
fuerunt vocati: aut versuram
facientes, corporis nexu duci a
creditoribus poterant, quorum
pars serviebat ibi, pars extra
patriam venundabatur. Multi et-
iam liberos suos vendere compel-
lebantur, (neque vetabat lex)
& urbem propter fœneratorum
crudelitatem deserere. Exstite-
rant antea eadem in civitate
interni motus inter Megaclis
familiam atque Cylonis. Mox
Diacrii, Pedixi & Parali de-
for-

forma regiminis inter se acriter decertarunt. Quas interurbas quum agricultura, artes atque commercia interquiescerent, vel saltem negligentius exercerentur, summa inde inopia & miserimus rerum status consequebatur. Sic ex dissensione civili imminet paupertas, unde alia rursus intrinseca mala, mutua cum civium discordia seecunde progenerantur.

§. IV.

Quemadmodum in afflictissima civitatum tempora vita maximorum quandoque Heroum incidere solet, ita rebus Atheniensium ab interi-

tu revocandis, Solonem Pro-
 videntia destinavit. Vir inge-
 nio excellens, litterarum stu-
 dia magna animi contentione
 sectabatur; nec voluptatis vel
 ostentationis causa has excolu-
 it artes, sed ut illarum admi-
 niculo ad veram solidamque
 proficeret sapientiam. Eloquen-
 tia ipsi in deliciis erat, quæ
 reipublicæ gerendæ quam maxi-
 me inserviret, quare etiam
 nomine Sophistæ, tum tempo-
 ris honorifico, insigniebatur.
 Prudentiam non tantum ex
 doctorum hominum monumen-
 tis, sed usu quoque peregri-
 natione varia ac iterata, &
 in ipsa reipublicæ administra-
 tione comparato egregie acqui-
 sivit.

§

sivit. Plurima certe ejus edidit
documenta, quum vel auctor
esset Salaminis recuperandæ, vel
bellum contra Cirrhæos suade-
ret, vel rempublicam ordina-
ret, populumque in classes di-
stingveret, vel constitueret A-
reopagum, vel varias deniq;
utilissimasque leges conderet,
& maximam iisdem concilia-
ret auctoritatem, quibus o-
mnibus effecit, ut non tan-
tum unanimi civium consensu,
sed communi quoque Græciæ
ore sapiens nuncuparetur. Hæc
vero, ut nostrum non directe
serientia scopum, prætermitti-
mus, illam Solonis pruden-
tiam consideraturi, qua dis-
tensionem in perniciem civita-
tis

eis alioquin facile erupturam
 composuit. Diffidio enim Cy-
 lonios inter ac Megacleos se-
 dato, & mox discordia, quæ
 inter Diacrios, Pediaros Para-
 losque intercesserat, restincta,
 Archon constitutus nihil habu-
 it prius vel antiquius, quam
 ut malum seditionis, ex inju-
 riis creditorum in debitores e-
 matum, mature tolleret ex-
 stirparetque. Nec spes eum
 fefellit; *σπειροχθία*: quippe inven-
 ta præstitit, ut in partes di-
 visa civitas in unum iterum
 coiret.

§. V.

Rationem denominationis
 tradit Hesychius: *Solon*,
 ἰσθ-

inquit, de remissione publico-
rum privatorumque debitorum
legem tulit, quam *συστημα*
appellavit; ab excutiendis o-
neribus usurarum. Idem Plus-
tarchus ulterius explicat: Quod
autem recentiores ajunt, Athe-
nienses, asperitatem rerum benig-
nis & blandis vocabulis con-
tegentes invidia nominis urbanè
emollita, scorta appellare amicas,
tributa descriptiones, presidia civi-
tatum stationes, carcerem custo-
diam, id primum ut videtur,
Solonis commentum fuit: qui
eris alieni condonationem, *συστημα*
συστημα, oneris excusationem
nuncupavit.

§. VI.

IN quo autem hæc *συστημα*
consti-

constiterit non per omnia consentiant. Quidam omne a se alienum debitoribus remissum fuisse opinantur, quod vel ex adducto Phitarchi loco colligere licet. Huic vero sententiæ quo minus accedamus, obstat singulare illud studium justitiæ, quo in primis claruit Solon. Sic enim divites fortunis suis eversi fuissent, unde fieri potuisset, ut pluri mi quoque illorum ad extremam redigerentur mendicitatem. Quantum vero hoc ab æquitate abhorreat, notissimus ille canon indicat: *Nemini cum damno alterius lucrum est capiendum.* Et recte monet Cicerō: *Tabule vero nove quid habent*

bent argumenti, nisi ut emas
 mea pecunia fundum, eum tu
 habeas, ego non habeam pecunia
 am? Nec prudentiæ Solonis
 consentaneum videtur, ut mor-
 bum, quo libera civitas labo-
 rabat, tam aspero remedio
 curare susciperet, quod potius
 ad exacerbandos, quam delini-
 endos civium animos valuisset.
 Quos novæ tabulæ strepitus Ro-
 mæ excitaverint, fides histo-
 rica testatur.

§. VII.

ALii autem existimant, non
 plena æris alieni condo-
 natione, sed usurarum mode-
 ratione opem adflictis latam
 fuisse, quæ hac de re Andro-
 tionis

tionis erat opinio, qui valorem monetæ juxta auctum fuisse affirmat. Idem Auctor Ety-
mologici hinc adstruit ver-
bis: *Quidam dicunt usura-
rum moderationem esse, & aug-
mentum mensurarum, & mo-
netæ pretium. Nec Diodorus sicu-
lus totus ab hac sententia est di-
versus, qui sic scribit in Bibl. lib.
I. Et usuras de facultatibus dun-
taxat oberatorum exigere, sed in-
nexum corpus ducere nullo modo
permittebat, bona, illorum ar-
bitratus esse, qui vel labore
comparassent, vel per domi-
nationem ab eo, qui dominus erat,
accepissent; sed corpora, civita-
tibus deberi: quibus ad congrua
belli pacisq; munia utantur. Abs-
urdum*

surdum enim esse, militem, qui pro patria sese periculis objiciat, a creditore, propter fœnus, si ita usus ferat, nexum abduci: Et ob privatorum avaritiam, communem omnium salutem in discrimen adduci. Videtur vero Et hanc legem Athenis Solon invexisse, σείων Δείας nomine ab ipso vocitatum: qua cives universos, ab ere alieno, in corporis nexum credito, liberavit. Hoc veritati proximum videtur. Talis enim ratio, quæ media incessit via inter nimum in alterutram partem studium, ingenio Solonis vere populari quam optime congruebat. Sic nec lautioris rei homines totam perdidierunt sortem,

rem, nec obarati iniquo fœnore & exactione creditæ summæ justo rigidiori opprimebantur. Præterea ubi prohibitum fuit vim in corpora debitorũ exercere, facultatem nanciscebantur pauperes, vel labore debitum compensandi, vel etiam acquirendi unde nomina solverentur, quod vel ideo fieri potuit, quia sortem tantum præstituri fœnore liberabantur. Id vero hic observatum fuisse non legitimus, quod ipsa æquitas exigere videretur, & Leges nostræ Patriæ sapienter attendere jubent, nimirum an debitor sua culpa, luxu vel negligentia æs alienum contraxerit, vel de industria alios fraudare sibi proposuerit; quo casu pro
circum

circumstantiarum ratione iusta
 adficitur poena: an autem ino-
 pinato aliquo casu & infortu-
 nio in statum devenerit cala-
 mitosum; ubi cessione bono-
 rum vel novo cum creditoribus
 cōtractu afflictio consulitur.

§. VIII.

HUic interpretationi legis Soe-
 lonicæ officere videtur,
 quod Plutarchus, sæpius a no-
 bis citatus, hunc in modum
 refert: *Evenisse vero rem in-*
quit, ei ex hac actione memo-
rant omnium acerbissimam.
Namq̄, ut institit jam aris a-
lieni gratiam facere; & oratio-
nem rei congruentem facere, at-
que honestum principium quæ-
reret,

veret, ad amicos, quibus maxi-
 me fidebat, quibusq; in primis
 utebatur, Cononem, Cliniam,
 & Hipponicum, agros retulit
 se non moturum, sed in animo
 habere, et alienum inducere.
 Hi, praevenientes illico, & prae-
 vertentes, fœnerati sunt a divi-
 tibus ingentem pecuniam, qua
 agrorum sibi plurimum compa-
 rarunt. Proposito inde decre-
 to, quum possessionibus fruerentur,
 nec redderent argentum cre-
 ditoribus, effecere, uti plurimi
 Solonem incusarent, & calu-
 mniarentur graviter, non quasi
 una cum aliis ipse defraudaretur,
 sed defraudantium socius es-
 set. Verum hanc fraudem
 committere potuissent, si vel

B

valori

valori monetæ aliquid accessu-
 rum fore intellexissent. Omne
 enim hoc augmentum illis in
 lucrum cessit, quam accepe-
 rant summam tantum redditu-
 ris; quemadmodum perhibe-
 tur, quum pretium monetæ
 non ita pridem nostra in repu-
 blica cresceret, non defuisse
 qui præmatura hujus rei no-
 titia in fraudem aliorum
 abuterentur. Nec sententi-
 am nostram infringit, quod
 Solon hoc decreto in offensio-
 nem quorundam incurrerit,
 quum etiam nummus pretio
 auctus id efficere valuisset. A-
 thenienses enim non adeo e-
 rant simplices, ut quorsum hæc
 tenderent eos lateret. Huc
 pertinet, quod modus sceno-
 ri

ri constitutus bilem illis facile potuit movere. Nostram quoque assertionem ulterius confirmat facilis eorum placatio, negotium hoc paulo maturius expensum statim consecuta, quæ vix locum habuisset cum insigni illa jactura, quam experti fuissent opulentiores, si omnia semel atque simul nomina fuissent expuncta.

§. IX.

PRudentiæ quidem insigne habetur specimen, motus in republica existentes placide componere atque sedare, majoris vero sapientiæ est documentum providere, ne ejusmodi remedio sit opus. Quare
ad

ad cavenda illa mala, quæ diffidia ac turbas progignere solent, omne studium convertendum. Et ne extrema civium inopia ad ausus publicam cōtra securitatem eos propellat, non tantum æquabilis juris administratio est procuranda, per quam potentiorum injuriis occurritur; sed insuper agendum, ut rei civium familiari prospiciatur. Horum itaque diligentiam quacunq̄ue ratione excitare oportet, ad omnes in hoc nervos contendendum, ut quantum industria fieri potest humana agrorum, maris, lacuum, fluminum, minerarum, silvarum & quarumcunq̄ue rerum usibus nostris inservientium fructus

fructus atque proventus, quam largissimi accipiantur. Artes præterea varias excolere & perficere conducit, ne ab exteris carê illa redimantur, quibus parandis assidua indigenarum peritia sufficeret abunde. Commercia denique cum aliis prudenter frequentata, & eorum, quæ huc pertinent cura, ad conservandas & augendas reipublicæ vires plurimum habet momenti. Apex vero tanti negotii est, quod publica œconomia non ad paucorum lucra, sed integræ civitatis commodum instituat. Expedit quoque otiosos homines & noxia societatis membra, vel ex republica

exterminare, vel potius modo convenienti ad labores, sobrietatem & frugem compellere meliorem. Luxus denique ac vita civium dissoluta, & legibus, & superiorum imprimis exemplo optime compescitur emendaturque. Hæc autem omnia quum sapientia singulari & indefessa sollicitudine Augustissimus Rex noster, cum Celsissimo Purpuratorum Ordine, aliisque Magistratibus pro suo quisque loco promoveri nitantur; non dubitamus quin Optimi Principis Majestas, Senatus auctoritas, libertas civium, omnium inter se concordia, & conspiratus bonorum consensus per
 favo.

favorem Altissimi, ut fulcra
quædam firmissima publicam
sustineant felicitatem, quod
ratum fixumque esse jubeat Su-
premus universi Moderator.

S. D. G.



1773
The following is a list of the
names of the persons who
were present at the
meeting of the
Board of Directors
of the
University of
the State of
New York
on the
10th day of
January
1873.

S. M. G.

